



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput X. Agitur de Fide quorundam Occidentalium, scilicet Tertulliani,
Cypriani, Lactantii, & Arnobii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83642](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83642)

Spiritum in Hom. 17. appellat: neque patri honore Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum glorificat, usus sapenumero hac formula; *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto.*

3.
soluio

Resp. Nunquam Divum Basilium de rebus ad Fidem pertinentibus cum Appollinari habuisse Epistolarum commercium; & binas scitantes erroribus citatas ab Athanasio Episcopo Ancyrae, sub ejus nomine fuisse suppositas: quod ipse Basilius contestatur Epist. 59. his verbis: *Ut calumniam illam, quae adversus nos invaluit depellamus, conspicuum facimus omnibus, nihil nobis cum illis esse commercii, qui ad eum modum loquuntur.* De Oratione habita in Festivitate Eupfychii, scribit Epist. 26. Gregorius Theologus Basilium prudentem servasse Oeconomiam. *Ingens, ait, circa eum bellum est, cupientibus nimirum haereticis nudam, & apertam vocem ex ipsiusmet Basilii ore arripere, ut ipse quidem ex Ecclesia expellatur, qui solus pene veritatis igniculus restat, & vitalis facultas, vicinis omnibus captis, ac subjugatis. Praestat itaque Oeconomiam quamdam ad veritatem adhibitam fuisse, nobis videlicet temporis, quasi nebulae cuiusdam nonnihil cedentibus, quam ut illa ob praedicationis perspicuitatem opprimeretur. Non enim ex ea re nihil damificimus, si ex aliis quoque dictionibus, quibus id certo colligatur, Spiritum*

Sanctum Deum agnoscamus. Verum est quod nonnulli hanc Oeconomiam ignaviam esse judicaverunt, quod teneamur veritatem palam profiteri: sed aliud est non respondere quærentibus, aliud insidias evitare silentio. Certe Basilius audita calumnia Epist. 33. ad Theologum ipsam temporum catastrophem cautatur: neque alibi, ut ostendimus, hanc adhibuit circumspeditionem. At, inquit, Spiritum Sanctum non appellat *Deum*, sed *Dei spiritum*. Id quidem non semper; nam Hom. 141. ait: *Confitendum est Deum esse Patrem, Deum, Filium, Deum Spiritum Sanctum.* Quare ubi vocat Spiritum Dei, usurpat Dei nomen, more veterum, *notionaliter*: & habet praeclarum imitationis exemplum, id est, Paulum; qui, ut plurimum Dei nomine intelligit Patrem, ut animadvertit Chrysostomus Hom. v. de Incomprehensibili. Demum cap. 25. de Sp. Sancto, demonstrat in glorificationis hymno particulam *In* eandem vim habere, ac particulam *Cum*: & perinde esse si dicamus: *Gloria Patri per Filium unicum in Spiritu Sancto*, Et: *Gloria Patri, & Filio cum Spiritu Sancto.* Proximo cap. 26. illarum particularum diversitate eloquenter divinarum Personarum exponit originem: & cap. 27. etiam alteram formam approbat ex Apostolica Traditione: ob quam, ut praeponui, liber ille ad Amphilo- chium minus placet Protestantibus.

CAPUT X.

Agitur de Fide quorundam Occidentalium, scilicet Tertulliani, Cypriani, Lactantii, & Arnobii.

SUMMARIUM.

1. Praemittuntur notanda circa statum quaestionis.
2. Propugnatur à Tertulliano probabilis non fuisse improbatam Verbi Divinitatem.

- à num. 3. usque ad 6. diluuntur opposita.
7. Profertur opinio de reliquis tribus.

I.
Quid de Tertulliano sentiendum.

NOVI Ebionitæ nobis Occidentales quoque Patres obijciunt, praesertim Septimum Tertullianum Afrum genere, patria Carthaginensem, nobilitate conspicuum, & prope finem seculi saeculi literarum splendore clarissimum. Illum etiam Clericus in Hist. Eccl. ad an. 186. contendit docuisse contra Praxeam tres esse Divinas substantias; & ambiguum esse in hoc Opere sensum, plures affirmaverunt. Scripsit tamen Tertullianus adversus Praxeam jam Montanista, ut liquet ex libri initio, in quo illius sectæ parentem non semel

commendat sub magno nomine Paracleti. At hunc quoque librum ab errore Ariano immunem facile mihi persuadeo ob collationem locorum, Auctorumque perillustrium, cujusmodi sunt Bellarminus, Alexander. Tournely, alique plurimi, testimonium.

Id modo demonstraturus duo notanda praemitto. Primum est, Praxeam agnovisse unicum Deum mundi conditorem, & improbasse Patris, Filii, & Spiritus Sancti distinctionem, ex qua putabat consequi tres Deos esse, sive tres substantias suis distinctas proprietatibus: idque

idque fatetur ipse Clericus num. 111. pag. 390. Ad oppugnandum itaque Praxeam, quid incumberebat Tertulliano, nisi data opera in una divinitatis Natura demonstrare tres Personas esse distinctas, & earum pluralitatem non evertere unitatem substantiæ? Enimvero nisi id efficit Tertullianus, necesse est aut consentiat Adversario, aut illius argumentationi succumbat. Advertendum præterea est, quod cum generatio Verbi sit quædam quasi sermonis prolatio, antiqui Patres nonnulli duplicem Filii generationem ante conditas creaturas distinguunt, quod dixerim ego æternam generationem, ejusque progressum. Prima generatio est, cum Pater Verbum genuit intelligendo se ipsum; quam generationem constat sempiternam esse, cum Deus semper fuerit Pater, ac rationalis. Altera generatio, seu potius externa Verbi prolatio fuit, quando Verbo virtutis suæ mundum condidit. *Hæc est* (inquit Tertullianus cap. 7. contra Praxeam) *nativitas perfecta sermonis, dum ex Deo procedit, conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiae. De hinc generatus ad effectum, cum pareret cælum.* Hæc tamen analogia potius, quam proprietate sermonis dicta sunt: sed, ut videantur, mente ne decident.

2. PROPOSITIO: Sententia est probabilior, Tertullianum Verbi non improbasse divinitatem.

Et quidem Ariana perfidia est negare aut æternitatem Verbi, aut propriam ex Patre generationem, aut unam in utroque substantiam; quæ omnia quisquis profitetur ac propugnat, Catholice sentit de Trinitate. Atqui Tertullianus talem asseruit in Verbo æternitatem, generationem, substantiam. Ergo de Trinitate sentit Catholice, & prædamnavit Arianam perfidiam. Probatur minoris propositionis pars prima. Cap. 5. contra Praxeam inquit Tertullianus: *Ante omnia enim Deus erat solus, ipse sibi, & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter ipsum. Cæterum ne tum quidem solus: habebat enim secum, quam habebat in semetipso, Rationem suam scilicet. Rationalis enim Deus, & ratio in ipso prius, & ita ab ipso omnia.* Et cap. 8. Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, *Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et sermo erat apud Deum; Et nunquam separatus à Patre, aut aliis à Patre, quia, Ego & Pater unum sumus.* Secunda pars constat tum ex cap. 21. Apologe-

R. P. Berti Theol. Tom. II.

tici, ubi ait: *Hæc ex Deo prolata sunt dictum, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ:* tum ex verbis superioribus allatis ex cap. 7. contra Praxeam: *Hæc est Nativitas, &c.* Tertia autem pars probatur ex illis verbis cap. xv. *Ita connexus Patris in Filio, & Filius in Paraclete, tres efficiunt coherentes, alterum ex altero: qui tres unam sunt, non unus: quomodo dictum est, Ego, & Pater unum sumus, ad substantiæ unitatem, non ad numeri singularitatem.* Etiam in libro de Pudicitia cap. 21. *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* proficitur. Eisdem cap. 2. adversus Praxeam declarat esse *Unius substantiæ, & unius status, & unius potestatis.* Igitur Tertullianus, quod erat demonstrandum, Filii æternitatem, generationem, divinitatemque naturam propugnat.

OPPOSITIONUM REFUTATIO.

Arguit Clericus in Hist. E. ad an. 186. Docet Tertullianus contra Praxeam ac Oblectio 3. Sophiam ac Verbum in Dei quidem sensu rici. ab omni æternitate paratum, sed accepisse substantiam, ac genitum duntaxat quando Deus universum condere instituit: tum profusum è corde Patris, veluti frutex à radice, fluvius à fonte, radius à sole; ideoque parem habere cum Patre, non eandem substantiam, & hanc in plures gradus secari. Superat ergo sententia Tertulliana absurditate Arianam. Probat id Clericus quatuor argumentis. I. Tertullianus post fidei confessionem, quam Praxeæ opponit, cap. 11. ait: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, &c.* Quæ ad Praxeam nihil facerent, nisi Tertullianus plures substantias intelligat: libenter enim ille relationes, aut modos in Essentia numero una admittebat. II. cap. 6. inquit: *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophia ratione, & sermone disposuerat intra se, in substantias & species edere: ipsum primum protulit sermonem habentem in se individuas rationem, & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imò & facta jam quantum in Dei sensu.* III. Sermone generatum ad effectum, paulo post inquit, *habere substantiæ proprietatem, ut res, & persona quædam videri possit.* Existimabat ergo Tertullianus Sermone esse accidens, priusquam Deus eum conderet initium viarum suarum, atque faceret sibi parem, & primogenitum.

Q

IV.

IV. Cap. 13. explanat Verbi *prolationem* exemplo fruticis à radice prodeuntis, fluvii manantis à fonte, radii à face: *quæ species*, inquit, *sunt probolæ earum substantiarum ex quibus prodeunt*. Agnoscit ergo Tertullianus unam substantiam Divinam *specie*, sed numero non unam, quod & totus liber ostendit. Habet consimilia Petavius lib. 1. cap. 5.

4. Scopus Clerici.

Clerici Scopus, ut significat ibidem num. ix. est lectorem præmonere, ne Patribus, qui post sæculum Apostolicum floruerunt, nimium credat: Traditionem evertere, & in sola Scripturarum revelatione regulam Fidei statuere: quod magno verborum apparatu molitur in iv. Epistola Critica, quæ est *de usu Patrum*. Id tamen non potest consequi ex paucorum errore: neque enim unus vel alter poterit universalem Traditionem labefactare. Peccare etiam videtur Petavius, qui fere de omnibus PP. Antenicænis sinistre judicat, augetque Hæreticorum audaciam tanti viri auctoritate pugnantium. Sed vir eruditus non advertit consequentiæ malitiam: & in Proemio magni de Trinitate Operis docet alios, si Tertullianum ac Tatianum excipias, etsi in consuetudinibus quibusdam nonnihil deflectunt à regula, dogmatis tamen tenere substantiam.

Solutio.

Sed respondetur argumentationibus utriusque. Atque ad primam dico: gradus, quos Tertullianus in Deo adstruit, esse relationum ac personarum, id est, unius ab alia originem: primo quia ibidem sequitur: *Tres autem non statu, sed gradu, nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie: unius autem substantiæ, &c.* Deinde, quia contra Hermogenem cap. vii. ait: *Divinitas autem gradus non habet, utpote unica*. Præterea, quoniam nomine gradus, formæ, ac speciei non potest Tertullianus designare nisi ordinem Personarum; cum naturam, sive substantiam, unicam dicat semel, iterumque. Neque verum est Praxeam agnovisse in Deitate pluralitatem relationum, saltem ad Terminum substantialem, ut in priori adnotatione dictum est; alias tenuisset Catholicorum sententiam: sed adstruit relationem ad summum fictitiam, non Personarum substantientiam; qualem proinde *graduum* distinctione Tertullianus designat. Ad 2. dico prolationem Verbi in molitione creaturarum, quam Tertullianus analogice vocat generationem, non excludere sempiternam productionem Sermonis: quod & supra animadverti, & ex eodem loco inferitur, qui obijcitur. Si enim creaturæ factæ sunt

per idem Verbum, ac sermonem, à quo ab æterno fuerant dispositæ; profecto ab æterno extabat hoc Verbum, hic sermo: & quod genitus sit *ad effectum*, id est, prolatus ad operis molitionem, non excludit Nativitatem perfectam *sermonis ad cogitatum*, scilicet, in sinu Patris. Ad 3. dico: Deum non loqui more hominum prolatio sermone; sed quando dixit E. G. *Fiat lux*, idem Verbum prolatus est, quod erat genitum ex Patris substantia; hæc autem locutio non connotat terminum intrinsicum ac sempiternum, sed extrinsecum, ac temporarium, id est, creaturam. In hac Sermo dicitur *factus primogenitus*, non quod tunc habuerit substantiam, non antea: sed quoniam in productione universi Sermonis virtus est patefacta: quod Tertulliano dicitur *gigni*; quomodo etiam resurrectioni Christi dicitur generatio, id est, quædam æternæ generationis progressio; ut explicavi lib. vii. cap. 9. Ac Tertullianus hoc etiam loco generationem illam sempiternam commemorat, dicens: *Filius factus est primogenitus, ut ante omnia genitus, &c.* Observat insuper de eadem Sophia dici: *Ante Luciferum genui te*, propter originem à Patre; atque *Hodie genui te*; ob prolationem sermonis temporariam: quæ statutam roborant præmonitionem. Ad 4. ne molestum sit plura dicere; istiusmodi exemplis ostenditur Sermonem non esse ex nihilo conditum, sed progenitum è patris substantia. Innuit autem Tertullianus maximum inter allatas comparationes, & Dei sermonem, discrimen; dum illas appellat *substantiarum probolæ*, sive emissiones: Filium vero alium à Patre, *Personæ, non substantiæ nomine*; & infra: *Ubique teneo unam substantiam in pluribus coærentem*; ubi naturæ unitatem, non paritatem, ut jactat Clericus, asserit Tertullianus, ac repetit. Illi vero satis, ut arbitror, responsum est.

Rursus obijcies: Tertullianus in 2. contra Marcionem Patrem invisibilem facit, at non Filium, quem ab initio conversatum ait: congressumque cum Patriarchis. Item in 3. cap. contra Hermogenem, Patrem ac Judicem non semper Deum fuisse pronunciat verbis hisce absurdissimis: *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est: non tamen ideo Pater, & Judex semper, quia Deus semper; Nam nec Pater potuit esse ante Filium, nec Judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum, & Filius non fuit, quod Judicem, & qui*

5. Objectio.

Patrem

Patrem Dominum faceret, &c. Rur-
sus cap. 9. contra Praxeam Patri totam
substantiam divinitatis attribuit, Filio
autem portionem quamdam, ac propterea
Patrem majorem esse Filio declarat.

6. solutio. Resp. ad 1. Filium per Tertullianum
olim apparuisse, non Patrem, quoniam
ad illum spectabat legis dispensatio &
Oeconomia: ut diximus cap. 2. ad 1.
de Justino; quod non obscure innuit ibi-
dem Tertullianus, docens solum Filium
ab initio conversatum, quia hunc Pater
*proferendo Filium fecit, & exinde omni
dispositioni suae, voluntatique praefecit.*
Ad 2. Ratiocinatur argute ex princi-
piis Hermogenis, qui probabat æter-
nitatem materiae ex quo Deus ab æterno
fuerit Dominus, & asserbat illam di-
gestam à Filio, quem æternum esse ne-
gabat. Sic ergo doctrinam, hominis-
que acumen retundit. Si ab æterno
Deus erat Pater per Filium gignendum
in tempore; potuit etiam ab æterno esse
Dominus *per ea, quæ sibi servitura fe-
cisset.* Quod si pugnaciter contendas
Tertullianum in proprio sensu locutum:
dico Deum non semper habuisse Filium
adoptivum, aut naturalem humana car-
ne circumdatum; quippe consilium Ter-
tulliani est demonstrare in Deo relatio-
nem Patris, Domini, Judicis, utpote
extrinsecas non connotare terminum ab
æterno existentem, ut fallaciam depel-
lat Hermogenis. Atque hic ego Petavi-
um appello ad librum contra Praxeam
cap. VIII. in quo tam diserte sempiterna
Filii coexistentia enunciatur. Scio quos-
dam Theologos respondere, Deum non
semper fuisse Patrem manifestum, in se
tamen fuisse ab æterno; idque affirmare
Tertullianum, ut solvat Hermogenis
argumenta. At non video quomodo
ea responsione refellatur Hermogenes,

qui talia de materiae æternitate somnia-
bat, nempe ab initio fuisse occultam,
digestam tamen ac formatam in tempore.
Postremo argumento istud habeto res-
ponsum: portionem appellat Tertul-
lianus *derivationem*, id est, originem:
qua Filium minorem Patre illi quoque
dixerunt, qui Arium debellarunt. Di-
cet aliquis, me pugnancia scribere, qui
Tertullianum lib. 2. feci Anthropomor-
phitam: non enim potest intelligi re-
rum corporearum generatio ebsque de-
fluxu, & divisione substantiæ. Verum
& alterius generis Tertullianus corpus
excogitavit, quod si non repugnat di-
vinitatis naturæ, nec Divinæ repugna-
bit generationi: & nego ad veram cor-
poris ideam illum mentem vertisse; ac
præterea non absolute ibidem differui,
sed opinanter. Denique Tertullianum
non semper sibi constare docet Petavius:
qui num. III. quamdam in eo observat
præclaram de Trinitate sententiam; &
tamen vult impietate Arium superasse.

De Cypriano non opus est specialem
instituere disputationem, cum Christi
divinitatem disertissime ostendat in 2.
libro Testimoniorum contra Judæos: ne-
que in contrarium opponantur, nisi quæ
plenissime hucusque diluimus, E. G.
quod aliquando Filium fateatur minorem
Patre, eique subiectum. Lactantius au-
tem, & Arnobius Fidem Catholicam
profitentur: ille quidem lib. 2. Div. In-
stitut. cap. 8. & lib. 4. cap. 29. Ille
in ornatissimo opere adversus Gentes.
In his, si aliqua offenderis duriora, ex
dictis poterunt emolliiri: neque debemus
accuratissimam exquirere Theologiam
ab iis, qui Rhetoricæ præcipuam ope-
ram impenderunt. De istis igitur, ut
Capiti finem faciamus, hæc tantum.

7. Quid de Cy-
priano sen-
tiendum.

C A P U T XI.

Eusebii Pamphili fidem adhuc in ambiguo pendere.

S U M M A R I U M.

1. Habetur Notandum historicum circa statum
quæstionis.

à num. 2. usque ad 6. afferuntur fundamenta
contra Eusebium pugnancia.
à num. 7. usque ad 12. Habetur ejus defensio.

1. Eusebii Pam-
phili Fides
dubia est.

N ULLUS est, qui Eusebium Cæsa-
riensem cognomento Pamphilum
Agapii in Episcopatu successorem
summæ eruditionis virum non admire-
tur: quam ei gloriam solus Scaliger in
Animadversionibus Eusebianis perperam
conatur eripere. Tale non est de illius
circa Verbi Consubstantialitatem Ortho-
doxiæ commune judicium, plerisque
Eusebium damnantibus, absolvantibus
aliis. Stant pro Eusebio Molinaus, Zan-
chius, Caveus, Valesius, Petitidier;
oppugnant Baronius, Petavius, Alexan-
der, Clericus: quos è magno Scripto-
rum numero satis est memorasse; nam
hi de Eusebio plura, ceteri perpauca scri-
psere.

Q 2